

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. XVI. Cernuus et Ouis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

Suadebat Afino fugere, ne possent capi.  
 At ille lentus, quaeso, num binas mihi  
 Clitellas impositurum victorem putas?  
 Senex negavit. Ergo quid refert mea,  
 Cui seruiam? clitellas dum portem meas. 10

*Sors sua quemque manet.*

Vt ut ciues alios nanciscantur principes, ea mutatione dominorum ac diuersa ratione, suam, qui inferioris sunt ordinis, conditionem non mutant. Hoc verum esse, breuis testatur sequens fabula. De rebus suis valde sollicitus senex, in prato vt pasceretur, suum agebat Asinum: et subito hostium clamore perterritus fugam illi suadebat: ne suo malo nunc veniret in manus rapaces hostium. Asellus contra nihil festinans, quaeso, inquit, mihi timere noli. Num etiam putas fore, vt hostis mihi, reportata victoria, binas sit impositurus clitellas? Dominus negat. Mea ergo, respondebit, nihil interest, cui seruiam, meas dummodo portem clitellas.

FAB. XVI.

*Cerunus et Oaris.*

Fraudator nomen quum locat sponsu improbo,  
 Non rem expedire, sed mala videre expetit.

Ouem togabat Cerunus modicum tritici,  
 Lupo sponsore. At illa praemetuens doli:  
 Rapere atque abire semper assueuit Lupus;  
 Tu de conspectu fugere veloci impetu:  
 Vbi vos requiram, quum dies aduenerit?

B

Cai

*Cui credas, vide*

Malae fidei sponsor si patitur suum, tanquam debitoris, nomen esse in tabulis: non cupit istud, quo obligatur, mutuum soluere, sed damnum dare creditoribus. Cervus ab oue petebat, ut mutuum sibi daret tritici modicum: et fore dicebat, si sua illi non sufficeret fides, ut bonum nomen esset sponsor Lopus. Dolum vero metuens ouis, at ille, respondet, quem vocas sponsorem, Lopus rapere omnia et abire consuevit: tu quoque cursu facili creditoris aspectum fugis. Qui ergo vos reperire, aut in ius vocare potero, si praestituta solutioni veniet dies?

## FAB. XVII.

*Ouis, Canis et Lopus.*

Solent mendaces luere poenas maleficij.

Calumniator ab Oue cum peteret Canis,  
Quem commendasse panem se contenderet:  
Lopus citatus testis, non vnum modo  
Deberi, dixit, verum affirmauit decem.  
Ouis, damnata falso testimonio,  
Quod non debebat, soluit. Post paucos dies  
Bidens iacentem in fouea conspexit Lupum:  
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

*Veritatis et Iustitiae vindex ipse Deus.*

Mendaces et maleficos poena sua semper manet. Dolo suspecta et iniquissima actione canis ab oue panem petit: quem contendebat nuper ab se depositum apud illam fuisse. Lupus citatur testis, qui, non vnum, sed decem

pa-